

Ac profecto, si vspiam locus est, vbi difficile sit fatyram non scribere, hanc fanaticorum litteris aduersus litteras lepide pugnantium palaestram, et immensa somniandi spatia, eo retuleris. Eorum volatus Icarios, in describendis daemonum rebus gestis operosissimam solertiam; in intimis naturae hominumque ipsorum penetralibus aperiendis male sedulum laborem, magna contentione nihil eruentem; in futuris noscendis et praedicendis mirificam sagacitatem; in interpretandis oraculis diuinis lusus, et visa portentosa; denique, vt multa paucis eloquar, in exstruendo orbis atque inferorum aedificio, aranearum telis quam simillimo, suauiissimam nugacitatem: haec igitur omnia quis serio refutanda censeat, nec potius adunco naso suspendenda? Quae tam nullis fundamentis nituntur, ea magno conatu et doctrina a radicibus vsque euellenda nemo suaserit. Non videbitur igitur maior quam par est his scitis tenebrosos honos habendus esse, sed erunt ridendo breuiter, et cum emphasi expedienda.

Attamen hic quoque dubitatio subnascitur, num hoc tramite ad optatam metam deducaris. Ridebis ἐν θουσιαισιν ἰκὸν hoc genus; sed eo ipso magis etiam irritabis. Iure quodam suo conqueretur, se non expugnatum et ratione victum esse, sed iocis et procaci dictione laesum; quae aliis ridicula videantur, ea tamen sibi vera et certa reputari adeo, vt nisi argumentis, nullis armis aliis cessurum sit. Addere possis et istud, illis ipsis, quae isti tam inepte tractant, admixtas esse de rebus sublimibus, grauissimis, atque vtilissimis, disputationes, quas vir bonus et sapiens pro dignitate explorari, quam perfunctorio risu depelli malit.

Supereft, vt tacito contemptu, pusillam hanc cohortem fanaticam, imo, si vel numerosa sit, miseratione potius,